


EMBLEMA LXXVI.  
PUNGAT, ET UNGAT.



Nec modo Cecropio dulcescit sedula succo,  
Sed vindex etiam gestat acumen Apes.  
Nec nimium dulcis, nimia aut sit cuspide Princeps,  
Ungere plus debet, pungere sceplicet.

COMMENTARIUS.

**1** Idimus quidem quantum expeditat penas à nocentibus exigi, & quo studio, ac modo in illis irrogandis, & exequendis se habere cordate, & temperati Principes debeant. Quibus adhuc, ultimum hoc monitum, (quod vel primum esse debuit) in re adeò gravi, & seria proponendum esse censemus, ut juxta consilium D. Gregorii (a), mentibus figant: Miscendam lenitatem cum severitate, faciendum que quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.

**2** Hoc est enim *vinum cum lacte bibere*, ut in Canticis (b) dicitur, & Petr. Blesensis (c) expōnit: *Severitatem exercere cum mansuetudine*; & neque hujus, neque illius gloriam affectare, ut prudenter Martianus Juris-Consultus (d) edocuit: *Sed perpenso iudicio, prout res quæque expostulat, statuere, & etiam in gracioribus panis severitatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.*

**3** Cujus legis, & aliarum suprà (e) in simili memini, & est digna relatu alia Nostrī Regis Alphonsi (f), dum inquit: *Ca comoquier que la justicia es miña buena cosa en si, i de que debe el Rei sien pre usar; con todo eso facese miña cruel, quando á las vegadas no es templada con misericordia.*

**4** Et hoc est, quod vel in Deo requirit, extollitque Regius Psaltes (g), dum canit: *Misericordiam, & judicium cantabo tibi, Domine. Super quem versum totam ferè structuram sui operis operosissimi, omniq[ue] laude dignissimi, De Optimo Principe Eruditiss. & Religiosiss. Pat. Joannes Antonius Velazquez, Societatis Jesu fulgentissimus radius, adificavit.*

**5** Seneca (h) quoque, Clementiam diffiniens, in eadem sententia est, illam tamdem inclinatio- nem, & moderationem animi esse inquiens, liberum arbitrium habentem, aliquidque ex merita, ac debita pena leniter ex aequo, & bono remittentem. Quæ non tam severati, ut imperiti purant, contraria est, cum nulla virtus contraria sit, quæm crudelitati, quæ nihil est aliud, quæm atrocitas animi in exigendis penas. Plutarchus (i) etiam, eidem monitioni subscribens, inquit, quod *Qui in ad-*

(a) D. Gregor. lib. 2. in Job.

(b) Cant. 5. 1.

(c) Blesens. in opus.

(d) L. respicendum, D. de panis.

(e) Supr. Embl. 53.

(f) L. 2. tit. 10. part. 2.

(g) Psalm. 100.

(h) Senec. lib. 2. de Clement. cap. 3. & 7.

(i) Plutarc. in tractat. de admin. Reip.

administrandis rebus versantur, secundarum rerum viam tunc incedere videbuntur, quando non singula ad flum reducere velint, nec severitate potius, & vi, quam mansuetudine, & humanitate conficeret.

**6** Et Ægidius Romanus (k), de re eadem Magistraliter agens, severitatem, & clementiam, æquitatem, & rigorem, nec sibi, nec justitiae contradicere probat: nam humani actus propter varias circumstantias, non possunt una regula metiri, & ideo lex (l), quæ nihil aliud quam regula est non debet esse ferrea, & omnino inflexibilis, sed potius plumbea, ut Philosophus (m) in Ethicis docet, ac proinde ex variis circumstantiis, quæ lex definire non potuit, oportet nonnumquam, recto arbitrio, vel clementia uti, vel severitate, dummodo semper fiat, non excedendo merita justitiae. Quæ quidem, ut bene dixit Sosi pater in quadam epistola, in judiciis, quæ versantur circa contractus, omnino non noscitur gratiarum genus: in his autem, quæ circa delicta versantur, mansuetam, & humanam non recusat executionem. Alioquin enim, ut D. Leo prudenter scripsit (n), sicut remedia ad sanitatem inducendam parata, aliquando corporibus nocent; ita dum Principes Dominari, & servire, magis, quam consulere subditis querunt, quod provisum est à concordiam; tendit ad mōxan.

**7** In eodem etiam hujus mixtura Severitatis, & Clementiae argumento Noster Bobadilla (o), & Politici omnes Autores (p) latè vagantur. Et sunt qui illam per æquum hieroglyphicè significare velint, quem qui regit, una manu frontem tangit, ac mulcet, ne severitate nimia resulset; altera virgam tener, qua pertinaciam ejus expugnat. Ita subditos habendos esse docentes, ut simul Principes suos amare possint, & revereri. Amare ob lenitatem, revereri ob severitatem. Quod fiet, si aut hæc illam, aut illa hanc non corrumpat; si lenitas Majestatem, severitas, quod æquum est, non excedat.

**8** D. Joannes Horoscius (q) Covarrubias idem ipsum indicavit, excusso symbolo Mali Granati, in quo simul acre cum dulci solet inesse, quo usum fuisse Regem nostrum D. Henricum hujus nominis IV. commemorat, ut per mixtionem utriusque saporis denotaret, qualis Princeps esse debeat, ita ut neque in suppliciis excedat, neque in necessaria correctione deficiat, quoniam ex illo odium, ex hoc autem sibi contemptum poterit comparare. Rithmicum ejus carmen, quo hoc non ineleganter, expressit, sic habet:

No debe ser cruel, ó justiciero  
(Que dicen) si lo es en demasía,  
El Rei, que para serlo verdadero,  
Huye de lo que suena á tiranía.  
Tampoco es bien perdone de ligeros,  
Lo que de veras castigar debria;  
Que no en valde es creida, i coronada  
La fruta de agro i dulce sazonada.

**9** Joannes etiam Major (r) similitudine ozimi uitur, quod cum per se fragrantissimum sit, si tractetur asperius, sumnum foetorem spirat, & ita inquit:

Ozimon est fragrans, si leni police trales,  
Plus aequo pressum, ceu grave virus olet:  
Asperitas semper peccat, sed gratia raro  
Hic jus est, ubi jus, qui moderetur erit.

**10** Ego vero in eamdem rem, in praesenti (quod, Lector, vides) Emblemate, Apem Apesè pingō, quæ natura quidem sua dulcorem habent, & haud dubie amant, cum adeò sedula, & operosa, ut magnus cecinit Vates (s),

Liguentia mella

Stipent, & dulci distendant nectare favos.

Sed non ideo minus, conjugatione quadam mellis & fellis (ut Apulei (t) verbis, licet aliud agentis, utar) suos etiam habent aculeos, quibus, ubi oportet, utuntur, & infesta sibi animalia graviter pungunt.

**11** Eoque libentius hoc symbolo utor, quod, Olao Magno testante, apud nostros vetustissimos Gothos, Apis Regem significabat, quia ut idem Olaus (u) inquit: *Moderatorem populorum oportet, cum justitiae aculeo clementie mel habere commixtum.* Quod, eisdem proprie verbis, Ægyptios hieroglyphicis suis literis indicasse, Ammianus Marcellinus (x) scribit, ut ostenderet: *Moderatori rerum, cum jucunditate, aculeos quoque innasci debere.*

(k) Ægid. Rom. lib. 3. part. 2. cap. 29.  
(l) L. 1. D. de legib.

(m) Aristol. Eth. 5. cap. 10.

(n) D. Leo Pap. epist. 82. apud Gratian. 10. cap. licet,

el 2. dist. 45.

(o) Bobad. in Polit. lib. 2. cap. 3. & 4.

(p) Aldo de relig. discip. part. 2. Marlian. in Th. pol.

cap. 5. Simanc. & alii apud Valenz. cons. 164. Buxhorn.

Et

Embl. 12. pag. 99. sub lemmate. Inter utrumque. Saaved.

Emp. 38. pag. 252. sub lemmate. Con aliago, i con temor.

(q) Oros. lib. 3. Embl. 30. fol. 161.

(r) Joan. Major Poeta apud Schomborn. lib. 6. pol.

cap. 35. pag. mibi 492.

(s) Virgil. 4. Georg.

(t) Apulej. 4. Florid.

(u) Olaus lib. 1. de Gent. sept. cap. ult.

12 Et non latuit doctissimum Pierium Valerianum (y), cum Apum Hieroglyphica ab hoc exquiratur, docens, Apem solam ex animalibus, hominum more, Regem habere, quem universum apum agmen consecutatur, & quae, atque homines, Regi obtemperantes, de quo Ego etiam superius (z) pluribus egis. Rex vero, vel acuio caret, vel ad offensionem minimè exerit: Quæ quidem (inquit) præcipua est in Rege virtus, qui in obwendis vitæ officiis, non magis justitiae aculeum, quam dulcem mellis clementiam ostentare debeat.

13 Quod, licet illum non laudet, ex Seneca (a) sumpsisse Pierius videtur, qui post narratam hanc apum Regio politican disciplinam, ita subjungit: *I'acandissime, ac pro corporis captu pugnassimæ, sint apes, & aculeos in vulnere relinquent. Rex ipse sine aculeo est, noluit illum natura, nec siccum esse, nec ultiōne magno constarunt petere: telum detraxit, & iram ejus inernem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens est. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderatior esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Utinam quidem homini eadem lex esset, & ira cum telo suo frangeretur; nec sepius nocere licet, quam semel, nec alienis viribus exercere odia, facile enim lassaretur furor, si per se sibi satisfaceret, & si mortis periculo vim suam effundet, &c.*

14 Eisdem vestigiis insistunt ceteri, qui de Apum natura scripserunt, & licet varie sentiant circa Regis earum aculeum, & utrum illum habeat, vel non? in eo tamen cum Aristotele (b) omnes (c) convenient, quod numquam illum exerit, suis apibus vindictam reliquise contentus, ac proinde existimat, seu vulgo traditum, aculeo carere. Et ad hoc respiciens, & multum in nostri Emblematis terminis loquens, Michael Glycas (d), sic habet: *Stimulo quidem Rex Apum præditus est, verum ad maximis Imperii potiuntur, ad puniendum tardi sint.*

15 Et Altius (e), dum prædictis assentiens, hoc Emblema formavit, quo & Petrasancta (f) refert, Ferdinandum Mediceum Hetruria Magnum Duceum pro symbolo usum, cum lemmate, *Majestate tantum:*

*Vesperum quod nulla unquam Rex spicula figet,  
Quodque alis duplo corpore major erit;  
Arguet Imperium clemens; moderataque Regna,  
Sanctaque Iudicibus credita jura bonis.*

Ubi Claudius Minoes, post relatum Seneca locum, quem Nos etiam suprà inseruimus: *Hoc (inquit) optimo Principi propositum esse, ut inter alias virtutes, quibus opus habet ad sue Reipub. administratiōnem, nihil animi moderatione habeat antiquius. Etenim ejus auctoritas, & agendi facultas, etiam si maior sit, quam in aliis, minime tanen sævere debet, iisque quibus præest, terrificum se præbere. Nam inter virtutes, que Principe maxime decent, clementia est.*

16 Noster quoque Saavedra (g), uno in loco multus, & satis elegans est in docendo, quomodo oporteat has duas virtutes Justitiam, & Misericordiam conjungere, & temperare. Et in alio (h) ex eisdem nostris Apibus arato junctis, illumque trahentibus, & ad Urbani VIII. Pontif. Max. felicis recordationis insignia alludere volens, hoc veluti symbolo totam Regnandi Arrem Veteres significare voluisse apertissimè tradit, quæ, juxta carmen Horatii (i), in miscendo utilibus dulcia consistit, & in populo, suavi interdum frano, duris etiam interdum lupatis, regendo, & coërcendo, qui ut alibi Tacitus (k) dixit: *Nec totam servitutem pati potest, nec totam libertatem.* Et hanc fortassis in Regibus mellis, & fellis, mansuetudinis, & severitatis coniunctionem, cœlum desuper denotasse, dum inunctione, & in auguratione Nostri Gothorum Regis Wambæ, ut ipsorum Chronicon (l) memorat, Apis ex ejus capite exire, & in cœlum evolare, conspecta fuit, quasi ejus piæ, & rectam gubernationem significans, quam postea Hispania experta fuit.

17 Petronius (m) quoque Arbitr., ad eamdem nostrarum Apum naturam respiciens, inquit: *Apes ideò pungunt, quia ubicunque dulce est, ibi & accidunt incenies. Quod convenit cum illo Claudiani (n):*

*Non quisquam fruitur veris odoribus  
Hibiles latebris, nec spoliat favos,  
Si fronti caveat, si timeat rubos.  
Armat spina rosas, mella legunt Apes.*

Ga-

(x) Amm. Marcel. lib. 17.

(y) Pier. lib. 26. cap. 1. fol. mibi 185.

(z) Supr. Embl. 20.

(a) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 19.

(b) Aristot. de hist. anim. lib. 5. cap. 22.

(c) Elian. lib. 1. cap. ult. & lib. 5. cap. 15. D. Basil. hom. 8. Euseb. de prepar. Evang. lib. 2. & alii relati a Brodeo, 4. mīte. cap. 10. & Petr. Fab. lib. 3. temestr. cap. 13. pag. 186. & seq.

(d) Glycas in Annal. part. 1.

(e) Altiat. Embl. 148.

(f) Petrasancta. in symbol. lib. 1. pag. 34.

(g) Saaved. Empir. 22. pag. 153. & seqq.

(h) Idem Empir. 42. pag. 280.

(i) Horat. in Arte: Omne nullit punctum, qui miscuit, urte dulci.

(k) Tacit. lib. 1. hist. cap. 16.

(l) Chron. Gothor. in Wambæ.

(m) Petron. in satyr.

(n) Claudian. in nupt. Honorii.

18 Habemus etiam in eamdem rem Imperatoris Friderici I. cognomento Enobarbi testimonium, qui unum ex suis feudalibus capitulis (o) sic exorditur, *Imperialis clementia serenitas mansueta, eam semper in subditis suis miserationem favoris, & gratiae habere consuevit, ut quavis stricta severitate excessuum delicta debeat, & possit corriger, magis tamen studeat, propria tranquillitate pacis, & piis affectibus misericordiae, Romanum Imperium regere, rebellium insolentiam ad debitam fidem, & debitam devotionis obsequium revocare, &c.*

19 Cujus dicti mentem videtur sequutus Natalis Comes (p), dum de eisdem Perduellibus agens, quamvis hoc delictum, præsertim à Nobilibus commissum, gravissimum esse agnoscat, adhuc tamen in eo puniendo, eamdem mixturam lenitatis, & severitatis habendum esse inquit, notabiliter addens: *Quod si in alterutram partem peccandum sit, modo ne sit extreum, prestat per nimiam clementiam, quam per crudelitatem peccare. Verissime quidem, & prudentissime, & ex Seneca (q) disciplina desumptum, qui agnoscens modum in hoc servari debere, addit, quod, Quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem preponderet, id es in clementiam.*

20 Qua nihil laudabilis, nil magnis, & præclaris viris dignius gratius esse posse Cicero (r) tradit, quamque tanti fecit Petronius (s), ut dicat:

*O Maxima rerum*

*Et meritò Pietas homini tutissima virtus.*

Et Claudianus (t), ut veritus nan fuerit affirmare, per solam hanc virtutem Diis homines exæquari, sic inter alia Honori Casaris Patrem, filium instruent inducens:

*Sis Pius in primis, nam cum vincantur in omni*

*Monere, sola Deos æquat Clementia nobis.*

21 Nihil enim aliud in Deo splendidius emicat, cum Davidicu (u) carmen intonet: *Misericordia ejus, super omnia opera ejus. Et hoc esse summum maximumque ejus bonum rectissime Oleaster (x) ex illo Exodi loco dedit, ubi cum Deus Moysi se illi omne bonum suum ostensur pollicitus fuisset, ubi ad ejus conspectum accessit, sic Moyses exclamavit: Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, ac multæ miserationis; quasi in his præcipue virtutibus omnne ejus Bonum consistat.*

22 Quod nec latuit Ciceronem (y), qui in famigerata illa oratione quo Cæsarem ad ignoscendum Quinto Ligario maximo ejus, & inviso valde inimico coëgit, sic inter plura alia, que Misericordia virtutem extollunt, peroravit: *Noli obscurio dubitare C. Cesar, simile illi glorie laudem, quam sepiissimè querere. Nihil est enim tan populare, quam Bonitas: nulla de virtutibus triis plurimis, nec gratiator, nec admirabilior Misericordia est. Homines enim ad Deos nulla re proprius accedunt, quam salutem hominibus danda. Nihil habet, nec fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis conservare quam plurimos.*

23 Athenienses quoque, referente Pausania (z), peculiarem Aram in medio foro eidem virtuti posuerunt, judicantes nimis, hoc numen magna habere in tota hominum vita, & casum varietate, momenta. Quam Aram elegantissimis carminibus descripsit Statius (a), inter alia inquiens, quod eam,

*Et miseri fecere sacram: sine supplice nunquam*

*Illa novo: nulla dannavit vota repulsa.*

*Auditii quicunque rogant, noctesque diesque*

*Ire datum, & solis nomen placare querelis, &c.*

24 Eamdemque illam esse, quam Ignoto Deo veteres posuisse in Actis Apostolorum (b) refertur, laudatissimum Noster D. Laurentius Ramirez de Prado (c), ultra alios existimat. Quem sequutus videtur æquè semper laudandus Eusebius Noriembergius (d), qui Statii premens vestigia, dum intendit: *Felicissimum quemque aliorum misereri debere, sic habet:*

*Nunquias ignoti vacuis frustratur in Aris*

*Tota supersticio.*

*Non thus, non flamæ, sanguis, libamen, acera*

*Violima non opus est.*

*Corde datur puro tantum litare querelis*

*Atque piis lachrymis.*

25 Sed improbus & vanus videri possem, si omnia quæ de clementia, & ejus laudibus, præ-

tan-

(o) Cap. 1. de pace constant. in usib. feud.

(p) Natal. Comes lib. 19. hist.

(q) Senec. 1. de Clement. cap. 2. in fin.

(r) Cicer. 1. offic. & in orat. pro Ligario.

(s) Petron. in fragm.

(t) Claudian. in Consul. Honor.

(u) Psalm. 144. 9.

(v) Oleas. Exod. 34. 6.

(y) Cicer. in orat. pro Ligario.

(z) Pausan. lib. 1.

(a) Statius Papin. lib. 12. Thebaid.

(b) Act. 17. 23. & 24.

(c) Doctiss. D. D. Laurent. Ramir. de Prado in Pente-

cont. cap. 16.

(d) Euseb. Noriemb. Gnom. 107.

tantibusque effectibus, à præstantissimis aliis Scriptoribus (e) passim persensa, & congesta reperiuntur, repetere vellent. Quare calamum cohibeo, & omnium loco, Senecam (f), Tragicum in Octavia sic suum Neronem momentem, his versibus, meritò aureis à Lipsio (g) vocatis, adduco:

Pulchrus eminere est inter illustres viros  
Consulere patriæ; parcere afflictis, fera  
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare  
Orbi quietem, seculo pacem suo  
Hec summa virtus, petitur baculum via.

26. Quibus adnecti dignissime possunt alii, qui sub nomine ejusdem Lipsii, Seneca hac in parte exmuli, circumferuntur, & sic habent:

Qui cede gaudent, Regiamque rem putant  
Sævire, longè è Regia exerrant via:  
Cum sit verendo Rege dignius nihil,  
Quād juris, atque moris humani menor  
Clemensque pectus; inde Majestas trahit  
Sublime lumen. Nec magis potentiam  
Vis ulla firmat, atque parentum favor  
Virtute partus: proximè itur ad Deos  
Bonos beando, non habet majus bonum  
Fortuna Regum, quād salutem plurimis,  
Quod fas habent, donare; quod leti metu  
Levare cives. Hec adorea, hic bonos  
Præstat triumphis, omnibusque laureis.  
Non Feretrio Jovi  
Suspensa opimos sic honestant inclitos  
Arma Duces, nec hostis occisi decus;  
Ut illa servans limen Augustæ domus  
Corona, que pro cive servato datur.

27. Nec omittendum censeo Cassiodorum (h), qui formulam indulgentiæ, quam Paschalibus Sacris Principes concedere solent, describens, totus est in hujus virtutis laudibus & encomiis: *Eaque ceteras omnes honorabiliter cedere inquit, quando eam humano generi salutiferam esse cognoscunt, & parcendo facit, ut Parce tollantur. Quod & iterum repetens, tantum ei deferri posse concedit, ut pro clementia exercenda, a justitia licet aliquatenus deviare, ejus verba (i) sunt hæc: Inclinari precibus nostra novit humanitas; nec pro affectu Pictatis fines potest justitiae custodiare. Benigni quippe Principis est, ad clementia commodum transilire terminos æquitatis, quando sola est Misericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant.*

28. Unde Salomon, qui Regum omnium sapientissimus fuit, præcipuum Regum tutamen in sublimi hac virtute constituit, inquiens (k): *Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & robatur clementia thronus ejus.* Et Seneca (l), eidem sententiæ, tamquam si illam legisset, cohærens: *Non est opus (ait) struere in altum editas arcæ, nec in adscensum arduos colles emunire, nec latera montium absindere, multiplicibusque muris, turribusque sepiè: salvum Regem in aperto Clementia præstabat: unum est inexpugnabile munimentum, amor ciuium, &c.*

29. Neque ab his abscedit Imperatoris Alexandri Severi apophthegma apud Ælium Lampridum (m), qui aliquibus, ejus Mansuetudinem culpantibus, quod dicentes, molliorem sibi, & contemptibilem Imperii potestatem hadæ de causa fecisse, *At (inquit) securiorem, & diuturniorem. Etenim juxta Dionys. Halicarn. (n), prudentissimum documentum, illud est, & semper erit: Optimum, & firmissimum Imperium, quod subditos beneficis magis, quam supplicii in officio contineat: illi enim benevolentia, huic metus est contra. Quicquid timetur id necessitate naturali exosum omnibus. Vulcatius (o) quoque Gallicanus aperto ore fatetur: Nihil esse, quod Imperatores magis commendet gentibus, quam clementia. Et Flavius Vopiscus (p) refert, Aurelianum Cæsarem, aliis licet titulis commendabilem, à multis, nec inter bonos, nec inter malos Principes positum fuisse: *Quod ei clementia, Imperatorum Dos Prima defuerit. Et inter alia capitula, quibus Basilius Imperator suum filium instruxit, unum integrum, & lectu dignum extat, quo eum Dei exemplo ad hanc clementiæ virtutem hortatur,**

&amp;

(e) Senec. Pontan. & alii, qui de Clem. script. Lang. Gru. & Beyerlinac. eod. verb. Girald. de Diis gent. pag. 33.

Valenz. cons. 164. Camer. 3. subcess. cap. 22. Lips. in Polit. lib. 2. cap. 12. & in monit. lib. 2. cap. 12. & 13. Velazq. de opt. Princip. lib. 1. per totum.

(f) Senec. in Oœav.

(g) Lips. apud Caram. in insign. Hispan. pag. 191.

(h) Cassiod. lib. 11. epist. fin.

(i) Idem lib. 2. epist. 9.

(k) Proverb. 20.

(l) Senec. lib. de Clement. cap. 19. videndum etiam cap. 3. 9. 10. & 11.

(m) Lamprid. in Alex. Sever. cap. 20.

(n) Dionys. Halicarn. lib. 6.

(o) Vulcat. in Avid. Cassio. cap. 11.

(p) Vopisc. in Aurel. cap. 44.

& se in sortes misericorditer habendum, justitiaeque humanitatem admiscendam, ea redditæ ratione, quod, *Ut omnis corporis, umbra est semper comes, ita semper hominem peccatum consequitur: natura enim humana valde ad labendum est proclivis, & ad cadendum prona, &c.*

30. Unde scitum, & certum est, quod vulgo jactari solet, non minus turpia esse Principi multa supplicia, quam medico multa funera, & illos qui se hoc nomine dignos reddere volunt, valde latari gloriarique debere, si suo tempore nulla flagitia fuerint, quæ graviorem animadversiō nem exposcant, ut Cicero de Marco Marcello (q) scripsit: *Gladium (inquietus) vagina vacuum in urbe non vidimus. Seneca (r) de Nerone, antequam in pestem, & lanianam humani generis mutaretur, referens, cum multo gaudio perfundi, Quod conditum imò constrivit apud se ferrum fuisse. Summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nullamque se toto orbe stillam crux humani mississe. Et Plinius Junior (s), de ipso loquens, sibique gratans, quod dum Bythinæ Proconsulem egit, nulum emersit facinus, quod capite puniri deberet.*

31. Honorum quoque Imperatorem hac etiam de causa nimis commendat & extollit Claudianus (t) hoc carmine:

Nullæ Nobilium cædes, non crimina vulgo  
Texuntur. Patria mæstus non truditur exsul.  
Non infelices tabule, non hasta refixas  
Vendit opes, avidusque emptor non voce citatus,  
Nec tua privatis crescunt æaria dannis.

Et Cassiodorus (u), in bono populo optat, ut Judez querat causas, & non inveniat, & statim ita concludit: *Quia utrumque laudabile est, ut bonus populus Judicem benignum faciat, & mansuetus Judez gratissimum populum æquabili ratione componat.*

32. Suntque notata digna eximia hujus virtutis, temperataque in dictæ non solùm pro delictis in alios, verū & in se ipsos commissis, exempla, Moysis, Davidis, Periclis, Philippi Macedonis, Marci Marcelli, ac Bibuli, Julii Cæsaris, Octavianii, Vespasiani, Titi, Caroli Magni, Cazimiri, Ludovici XII. Gallie Regis, & Alphonsi Aragonum I. que eleganter Lipsius (x) enarrat. Quorum hic ultimus rogatus: *Cur erga omnes, etiam malos, ita lenis eset? Respondit: Quia bonus justitia conciliat; malos clementia. Nec debere Reges, tamquam ursos, & leones regnare: nam bonum Clementia, belluarum Feritas est propria.*

33. Quibus exemplis alii Marilianus (y), Cameratius (z), Homobonus (a), & Beyerlinchius (b) adjiciunt, & Ego illud Lycurgi, apud Plutarchum in ejus vita valde laudatum, omitendum non censeo, qui adeò mitti, & placato ingenio fuit, ut eum, qui sibi in concione oculum effoderat, cum lapidibus obrue vellent Lacedæmonii, servaverit, atque à supplicio vindicavit, &, quod magis est, in domum suam adductum, ita informavit, ac mansuetum reddidit, ut pro nefario cive, bonum illum virum efficeret. Quod factum referens, & valde extollens Themistius (c), hæc addidit: *Praæclarè enim istud Res ille noverat, non referenda injuria bonum Principem, sed bene rendero, ita, à quibus lacessitus foret, superiorem videri oportere. Virtutis quippe hæc vitoria est, vindicta verò potestatis.*

34. Idem ipse (d) Themistius (cujus & Baronius cum laude meminit) summan Theodosii Magni Imp. lenitatem exaggerans, quod ad illam non volens tantum, verū & volans properaret, sic tradit: *Cum nos omnes malorum tolerantiam, ac clementiam admiremur, Tu ipsius improbas tarditatem. Atque hoc illius est proprium, qui molestè ferat, se venia sceleris, animadversionem non prævenisse.*

35. Quod & ipsum, melius adhuc, in eodem Imp. reutulit, & extulit D. Ambrosius (e), ita inquiens: *Beneficium se putabat accepisse Augustæ memoriae Theodosius, cum rogaretur ignoscere; & tunc propior erat venia, cum commotio major iracundia. Prærogativa ignoscendi erat indignatum fuisse, & optabatur in eo, quando in aliis timebatur, ut irasceretur. Hoc erat remedium reorum, quoniam cum habere super omnes potestatem, quasi parens postulare malebat, quād quasi Judez punire. Sæpè trementes vidimus, quos objurgabat, & convictos sceleris, cum desperassent, solutos criminis. Vincere enim volebat, non pœnæ arbiter, qui numquam veniam confitenti negaret.*

36. Hocque vel tunc potissimè ostendit, cum Maximum, falsis codicillis se Imperii consortem mentitum, affectataque Tyrannidis reum, bello superatum, & ante se adductum, proprioque ore crimen confessum (quia omni sævius quæstione est à Principe interrogari) adhuc absolvere voluit, nisi fures, ac commotus Populus, illum ad supplicium illico rapuerit. Quod factum, adeò

Minn. ele-

(q) Cicer. in orat. pro M. Marcel.

(r) Senec. de Clement. lib. 1. cap. 1. & cap. 11.

(s) Plin. Jun. lib. 10. in epist. ad Trajan.

(t) Claud. in 4. Cons. Honor.

(u) Cassiod. lib. 6. epist. 24.

(x) Lips. in monit. & exempl. lib. 2. cap. 12. Panormit.

lib. 2. de ejus dist. & fast. cap. 47. & seqq. Cochier in Thes.

32. n. 37. Scriban. in Polit. Christ. cap. 6. in Princip.

(y) Marilian. in Theat. polit. cap. 3.

(z) Camer. 3. tom. pag. 77. & seqq. & pag. 20.

(a) Homob. de stat. boni.

(b) Beyerlinach. verb. Clementia.

(c) Themist. orat. 5. pag. 136.

(d) Idem éadem orat. Baron. ann. 388. num. 43.

(e) D. Ambros. in orat. in obit. Theodor.

eleganter recenset, & extollit Latinus Pacatus (f), ut non pigate hic illius verba subnectere: *Ad primam tuam vocem nefario peatori excussa confessio est; nec cunctari saltem, aut misitare potuit, quin consilium omnia nudaret: se videlicet favoris tui obtentisse pretextum, quid alter non potuissest allucere nullum societas, nisi se auctoramenti tui fuissest auctorem. Et post hanc Tu vocem, non illum in crux tolli, non culleo insu, non discripi in frusta füssisti. Non postrem illam tanti mendacii lingua radicibus erui precepisti, cum eorum parte vitalium, quorum fuerat locuta commentum. Quin jam cœperas de ejus morte dubitare, & dejeceras oculos, & vultum rubore suffuderas, & cum misericordia loquebaris. Sed benè est, quod non omnia potes. Tui Te vindicant, & invitum. Rapitur ergo ex oculis, & ne quid licere posset clementia, inter innumeratas manus fertur ad mortem. Ecce iterum Imperator averteris, & illam Tyranni exitus relationem gravaris. Jam jam esto securus: geram clementiae more, non nolusti videre, non audies.*

37 Pluribus aliis relictis, merito quoque laudari poterit insignis clementia Regis nostri Alphoni XI. Mauro parcentis, qui ipsum in Algecira obsidione pro ea liberanda occidere voluit, ut latius Mariana (g) recoluit, & Friderici III. Imperat. Austriaci; qui, ut Aeneas Sylvius (h) enarrat, nimiam ejus mansuetudinem incusantibus, respondit: *Se, cum ad Deum funderet preces, misericordiam ejus, non justitiam expostulare; ac proinde eamdem in suos subditos exercere curare. Quia etiam virtute Ferdinandum II. & totam familiam Austriacam emicuisse, Lamormainus (i) & Vernelejus (k) pluribus probant, & Regium egregiumque ejusdem german Rex, ac Dominus noster Philippus IV. obstendit, sub quo plura delicta cum summa pietate punita, vel in totum ob justas, vel publicas gaudii causas indulta, supra omnes ejus Antecessores experti sumus, & sepe perduellibus sibi subditis, quos armis perdere posset, oblivionis illam legem obutulisse; quam Thrasibus (l) inventit; & Graci Amuestiam vocarunt, de qua ultra alios Humaniores Auctores, ex nostris Juris-Peritis, plura Tiberius Decianus (m), Petrus Gregorius (n) Aloysius Catalanus, & ejus Addicionarius Mastrillus (o) adducunt.*

38 Omnes sanè rectissimè, cum secundum Senecam (p): *Excogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum Regenti sit, quam Clementia: quocunque modo is, & quocunque iure praepositus ceteris erit, sed scilicet formosius id esse, magnificientiusque fatebimur, quod in majori praestabitur potestate, quam non oportet noscam esse, si ad naturæ legem componitur. Et Cassiodorus (q) docente: Materia sit gloriæ Principis delinqüentis reatus: quia nisi culparum occasionses emergent, locum Pietas non habet. Quid enim salubris ordinatio gerat, si morum probitas cuncta componat. Arida siccitas madentis pluviae beneficium exoptat, salutiferis medentium manibus, nisi infirma valetudo non indiget.*

39 Qua omnia satis aperiunt, justè Regem Nostrum Alphonsum X. (r) suis in legibus, post Tulum de paenit., alium subtexuisse, cui nomen *De los Perdones*, indutum fuit; cuius Proœmium sic exordit: *Misericordia es merced, & gracia, que señaladamente deben haber en si los Emperadores, & los Reyes, & los otros grandes Señores, que han de juzgar, & de mantener las tierras, &c. Statim in sequentibus legibus addens, & explicans causas antecedentium meritorum, publicas latitiae, insignis virtutis, bellicæ, vel scientiarum, & alias, quae eosdem Reges ad lenientes, vel indulgentias penas inducere possunt, inter quas illam signanter proponit: Quando el Rei persona alguno por ruego de algun Prelado, o de Rico ome, o de otra alguna honrada persona,*

40 Cujus peculiarem mentionem ideo facere volui, quoniam de ea quoque multi graves Auctores (s) pertractant, & his proximis annis in questionem deduxi fuit, sub occasione homicidii cuiusdam Praefecti Militaris, ab illustri, & strenuo Juvene Marchione de Cussano patrati, pro cuius indulgentia Beatiss. Pater, ac D. N. INNOCENTIUS X. Rom. Pontifex, & alii Ecclesiæ, & Italæ Proceres, enixas ad Regem nostrum Piissimum, & Potentissimum literas dederant, ad instantiam Nobilissimi, & Eruditissimi D. D. Garcia de Barnuevo & Peralta, ejusdem Marchionis Patris. Qui etiam pro filio, doctum satis, & omni literatura refert libellum, super hoc articulo, & clementia commendatione scribere ceperat. Quem tamen immatura rei mors, in carcere adhuc tenti, frustravit, & effectum quem dictæ commendatoria litera operari possent, in ambiguo reliquit.

41 In quibus quidem exaudiendis, necon in ceteris causis perpendendis, quæ à regulis justitiae sub prætextu clementiae, ac misericordiae deflectere videantur, & asperitatem poena lenitate molire, merito Seneca (t), quantumvis ejusdem clementiae vehementissimus, & dissertissimus Encō-

(f) Latin. Pacat. in Paneg. ad Theod.

(g) Marian. Hist. Hisp. lib. 16. cap. 10. Lambert. in Theatr. Reg. Hisp. pag. 83.

(h) Sylv. in notis ad Panorm. lib. 2. cap. 48.

(i) Lamorm. in lib. de virt. Ferdin. II.

(k) Vernal. de virt. Gent. Aust. cap. 6. num. 5.

(l) Emil. Prob. in Thrasib.

(m) Decian. 3. crim. cap. 35.

(n) Petr. Gregor. 32. syntagma. cap. 82. ex num. 22.

(o) Catal. & Mastr. in tract. de indult. q. 1. num. 14.

& in pref. ad fin.

(p) Senec. de Clem. lib. 1. cap. 19.

(q) Cassiod. lib. 3. epist. 46.

(r) Alphons. Rex in rit. 32. part. 7.

(s) Pat. Suar. 5. de legib. cap. 11. n. 9. Emin. Card. de Lugo de just. & iure, disp. 37. n. 92. Tirag. de pan. temp. caus. 17. Mastrill. decisi. 205. ex num. 33. Carol. Marant. resp. 43. n. 89. part. 2.

(t) Senec. de Clement. lib. 1. cap. 2. in fin. vide Bobad.

lib. 2. cap. 2. ex n. 55.

nastes, summam adhibendam esse prudentiam, ac moderationem præcepit: *Quæ sanabilis ingenia distinguere à deploratis sciæt. Nec promiscuam, ac vulgarem clementiam habere oportere, nec abscisam: nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli, atque adeò modum, & temperamentum esse tenendum.*

42 Quod Cassiodorus (u) etiam admonuit his verbis: *Quapropter casibus asperis præstandum est sub justitiae laude moderamen: ut nee vindictam sinamus superare peccata, nec culpam insultare patiamur legibus impunitam. Et D. Augustinus (x) sic inquietus: Omnis, qui justè judicat, stateram in manu gestat. In utroque penso justitiam & misericordiam portat: sed per justitiam reddit peccati sententiam, per misericordiam peccati temperat penam, ut justo libramine, quedam per æquitatem corrigat, quedam verò per miserationem indulget. Qui & idem Divus (y) pariter, se mirabiliter gerit in ea questione extricanda, an justum, & decens videri possit, Episcopos apud seculares Judices pro soutibus intercedere, cum hoc videatur justitiae regulis adversari, quæ eosdem pro suis peccatis puniri debere, requirunt.*

43 Et hoc est quod veteres Ethnici ostendere voluerunt, dum Minervam prudentiæ Deam (ut jam suprà (z) tradidimus) judicanti de hominibus criminibus Jovi, assistricem esse dixerunt, & quod Henricus Stephanus (a) his versibus comprehendit:

Dici severum turpe non est Principi,  
Præsidio & ipsa justitia se pessime  
Severitatis indiget, si vult suam  
Auctoritatem, si tueri jus suum:  
Sed diligenter caveat hic Princeps velim,

Tantum severus ne videatur dum sibi,  
Cruelis judicetur omnium,  
Ad facta quedam tetra dum dilabitur,  
Et ipsa gaudet qualibus crudelitas.

44 Noster etiam Saavedra (b) idem documentum satis eleganter proponit, exemplisque Regum nostrorum Petri, Joannis II. Henrici IV. & aliorum, illustrat: quorum aliis nimia severitas, aliis nimia clemens & indulgentia plurimam damni attulit. Atque ideo ita uni consulendum admonet, ne altera offendatur, & deseratur, & cum illo torquati Tassi suum claudit discursum:

Cade ogni Regno, è ruinosa è senza. La base del Timor ogni clemenza.

45 Ego huic etiam meo, ne nimis esse videar, finem imponam, Totila apud Sigoniam (c) exemplum addens, qui nullis precibus flecti voluit, ut stupratori cuiusdam virginis parceret, inquietus, idem esse ejusmodi delicta condonare, ac committere. Et Sancti Dunstani, Anglie Archiepiscopi, apud Surium (d), qui cum quosdam facinorosos clericos velet punire, pro quibus Rex precabatur, ad Christi crucifixi imaginæ se convertit, & ab ea, ut illos puniret, viva voce monitus fuit, qua auditæ, Rex in sua intercessione cessavit.

46 Et illam questionem suprà dictis subjiciens, an magis è Republica esse possit, delinquentium vita, & sanguini parcere, eosdemque pro delicti modo in metallum, tritremes, salinas, calcariam, aliave opera publica damnare, quibus in commune bonum deserviant, & ipsi simul debitos suis noxiis penas exsolvant? Et plane apud Romanos hoc sèpè in usu fuisse, pluribus aliis (e) docui; & Diiodorus Siculus (f) latè recenset, Ægyptios Reges, damnatos omnes, atque ex hostibus captos, servitiis ejusmodi mancipasse. Et Thomas Morus (g) in illa suæ formata Reipublicæ Idea, quam nomine Utopia donavit, eundem Utopiensibus morem esse tradens, illum valde probat, & Romanorum exemplo confirmat. De Sinenibus quoque, ad Tartaria muros proficiendo, capitales reos damnare solitus, idem, Pat. Trigaultius (h), & Pintus (i) literis produnt, & de multis aliis Nationibus Balduinus (k).

47 Quibus veluti assentiens Rex ille Lusitanus Joannes II. inter suos Prudentissimi nomen præmeritus, Vasconcello (l), ultra alios, testante: *Quoties in causarum capitalium tribunalum aderat, Senatoribus identidem mandabat, ut reos summa cum parsimonia condemnarent, quippè quod vir qui libet difficulter, ac non nisi magnis sumptibus educaretur. Insulas sibi esse multas, quas colere, & habbitare, majus opera pretium fore, ibi exulare posse.*

48 Idem quoque Patrii nostris quibusdam legibus (m), circa commutandas in servitium trimedium, alias penas capitii, admonemur. Quas peculiari suo decreto Piissimus Rex noster renovavit, & observari mandavit. Cui pro ingenua clementia illud Anastasii Imperatoris convénire videatur: qui cuidam Asia Präfecto scribenti, quoddam ipsius mandatum, circa coërcendam quorundam licentiam, sine multo sanguine exequi non posse, ita rescripsisse (n) narratur: *Non velle se, quidquam procedere omnium, quamvis res magna, & memorabilis sit, si quidem sanguinis una gutta effundi debeat*

Mmm 2 EM-

(u) Cassiod. lib. 3. epist. 46.

(f) Diiod. Sicul. lib. 3. cap. 2. & lib. 1. cap. 5.

(x) D. August. in Enchir. cap. 75.

(g) Morus in Utopia lib. 1. pag. 25. & lib. 2. pag. 115.

(y) Idem August. 2. tom. epist. 132.

(h) Trigault. de reb. sinar. lib. 2.

(z) Sup. Emblem. 63.

(k) Balduin. in §. servi autem, de jur. person. & in §.

(a) Hent. Stephan. in Musa ornatrix Principum.

pene seruos qq. mod. jus patr. potest.

(b) Saavedr. Emp. 22. pag. 153.

(l) Vasconc. in anachip. cap. 16. n. 9.

(c) Sign. de Reg. Ital. cuius verb. refero sup. Embl. 64.

(m) L. 8. tit. 11. lib. 1. 10. tit. 28. lib. 8. Recop.

(d) Sur. tom. 3. lib. 8. cap. 19.

(n) Camer. 3. tom. cap. 22. in fin.

(e) Ego de Ind. gubern. 2. tom. lib. 1. cap. 14. ex n. 5.

& cap. 16. ex n. 34.